

cerneret ac confirmaret ea ipsa impedimenta, quae in iure naturae evidenter continentur, multoque magis ea, quae vel incerta vel indefinita sunt, si solum ius naturae spectetur. Ita Deus in Levitico positiva lege legem naturalem confirmavit et determinavit. Quare licet coniugia non solum in primo, sed et in altero cognationis gradu in Levitico pariter vetentur, non sequitur ea pariter a iure naturae presse sumpto vetari; adeoque utrum secundus consanguinitatis gradus, de quo loquimur, matrimonium per se dirimat, non ex Levitico, sed ex rei natura, potissimum vero ex doctrina et praxi Ecclesiae statui debet.

Et haec quidem de impedimento orto ex consanguinitate; praestat nunc aliquid addere de impedimento, quod ex affinitate oritur.

Affinitas, ut notum est, dicitur propinquitatis orta ex copula sive licita, nempe coniugali, sive illicita, ut fornicaria, aut alia huiusmodi cum consanguinea.

Affinitas haec potest adesse aut inter ascendentes et descendentes, ex. gr. inter avum et neptem, generum et socrum, novercam et privignum etc. et ea est, quae dicitur linea recta; aut inter collaterales ex. gr. inter consobrinos et consobrinas, quae linea collateralis, aut obliqua etiam nuncupatur.

Eiusmodi affinitas, quaecumque demum sit, sive in linea recta sive in linea collateralis varios gradus, saltem respectu consanguinitatis, ex qua progignitur, habere potest.

Affinitatem parere impedimentum et quidem dirimens matrimonium, nemo est qui dubitet. Antiquitus receptum erat, ut longe plures gradus impedirent coniugium atque dirimerent; novo autem iure affinitas orta ex copula licita dirimit usque ad quartum gradum, orta vero ex copula illicita cohibita est usque ad secundum gradum.

His praelibatis ad rem nostram et ad finem, quem intendimus, quaestio inter auctores sive theologos, sive iuris canonici interpretes disceptata attingi etiam hic debet; nimirum utrum eiusmodi impedimentum enascatur ex iure naturae, an vero ex iure tantum ecclesiastico. Nam si a iure naturali stricte

sumpto enascetur, iuxta dicta, non posset Ecclesia, aut Rom. pontifex ullo in casu relaxare, contra vero rite id posset, si ex iure solum ecclesiastico ac positivo promanaret.

Porro non pauci iique gravissimi auctores olim opinati sunt, maiorem affinitatis gradum, seu gradum primum in linea recta ita iuri naturae adversari ab eoque ita interdici coniugium, ut Rom. pontifex ab illo dispensare nequeat (107). Innitebantur autem potissimum duplici argumento, altero ducto ex indecentia, seu defectu debitae sanguini reverentiae; altero vero ex aequalitate, imo et *superioritate* quandoque iurium erga illos, quibus naturae iure subesse deberent. Quae nos paulo ante attigimus cum S. Thoma disserentes de impedimento, quod ex primo consanguineitatis gradu dimanat.

Verum nunc dubitari non posse videtur de veritate sententiae, quae negat, hunc propinquitatis gradum a iure naturali vetitum esse, quaeque idcirco affirmat, affinitatem dirimere coniugium ex iure tantum positivo ecclesiastico, et quod consequens est, posse a pontifice Romano in ipso etiam primo gradu dispensari. Etenim Benedictus XIV. aperte docet, matrimonium in primo affinitatis gradu lineae rectae *iure tantum positivo* interdici (108). Et iterum in causa quadam Frisingensi, quae fuit proposita supremae congregationi SS. Inquisitionis de matrimonio ineundo inter vitricum et privignam, iudicium suum his verbis emisit: « Non esse dubitandum de potestate pontificis concedendi dispensationem in primo gradu affinitatis in » linea recta etiam ex copula licita inter vitricum et privignam, et e contra. Non expedire tamen, quod eiusmodi dis-

(107) Inter caeteros S. Antoninus 5. p. tit. I cap. II. §. 1. Soto in 4. Sentent. dist. 41. quaest. unic. art. 5. Covarruvias p. 2. *De sponsalib.* cap. 6. §. 10. n. 2. Bellarminus lib. unic. *De matrim.* c. XXVIII. n. 2. Cabassutius *Ius canon.* lib. III. cap. 24. n. 28. Iuvenin. *De matrim.* diss. XII. c. 10. concl. 5. Pirhing. in *Decret.* De consanguinit. et affinit. n. 52. Reiffenstuel in *Decret.* lib. IV. tit. 14. n. 49. Natal. Alexand. *Theol. dogmat. De sacr. matrim.* art. 6. reg. 1. Pontas in *Diction. casuum conscient.* tom. I. verb. *Dispensat.* cas. 5.

(108) *De synodo dioecesis.* lib. IX. c. XIII. et passim in *Quaest. canonicis.*



» pensiones concedantur (109). » Et merito quidem quoad utramque partem, nimirum quoad potestatem, qua pollet pontifex in hoc affinitatis gradu, et quoad negationem dispensationis.

Et quidem respectu iuris positivi, quo eiusmodi coniugia interdicuntur, ac proinde quoad potestatem pontificis relaxandi in hoc impedimento, utrumque inferri licet ex antiquorum conciliorum statutis. Etenim praetermissis can. 61. concilii Agathensis (110), et can. 30. conc. Epaonensis (111), quibus etsi expresse prohibeatur matrimonium cum privigna, cum noverea relicta fratris, relictaque avunculi, praecipitur tamen, ne ante eam prohibitionem contracta coniugia dissolvantur; his, inquam, praetermissis, quae evidenti sunt argumento illa coniugia per se valere, ac proinde dispensari in eo gradu posse, id ipsum non minus luculenter evincitur ex conc. Aurelianensi III. can. 40. his verbis expresso: « De incestis coniunctionibus ita, quae sunt statuta, servantur, ut his, qui aut modo » ad baptismum veniunt, aut quibus *Patrum statuta sacerdotali* » praedicatione in notitiam antea non venerunt, ita pro » vitate conversionis, ac fidei suae credidimus consulendum, » ut *contracta hucusque huiusmodi coniugia non solvantur*; » sed in futurum, quod de incestis coniunctionibus in ante- » rioribus canonibus interdictum est, observetur; id est, ut » ne quis sibi sub coniugii nomine sociare praesumat relictam » patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, consobri- » nam aut sobrinam, relictam avunculi vel patruum (112). » Ex quibus patet, concilium voluisse, ut permanerent eiusmodi coniugia in infidelitate contracta, neque dissolvi debere. Igitur gradus affinitatis inter vitricum et privignam, inter privignum et novercam,

(109) Cf. Rigant. Comm. in reg. XLIX. *Cancell.* n. 18 seqq. nec non Bened. XIV. *De synodo* lib. IX. cap. XIII. n. 4.

(110) Apud Sirmundum *Conc. antiqua Galliae.* tom. I. pag. 472.

(111) Ibid. pag. 199. Ambo hi canones *De incestis nuptiis* iisdem ferme verbis exarati sunt. Horum conciliorum alterum celebratum est an. 506. alterum vero an. 517.

(112) Ibid. pag. 251.

relictam fratris, aut sororem uxoris non dirimit coniugium iure naturae. Quinimo decrevit, neque esse huiusmodi coniuges separandos, qui licet baptizati in ignorantia legum ecclesiasticarum ea matrimonia iam celebrassent (113). Ex his itaque conciliis antiquissimis constat, recte Benedictum XIV. iudicasse primum hunc affinitatis gradum in linea recta non inducere impedimentum dirimens iure naturali, sed positivo, lege scilicet ecclesiastica, atque adeo in pontificis Romani potestate esse ab illo dispensare.

Quoad alteram vero decisionis partem, qua iudicavit, *non expedire tamen quod huiusmodi dispensationes concedantur*, id certe plures eaeque gravissimae causae persuadenti.

Ac 1. turpitude, quae in eiusmodi coniunctionibus vel ipso naturae lumine deprehenditur proveniens ex reverentia propinquo debita sanguini, adeo ut vel ipsae gentes passim ab illis abhorruerint (114). Hinc praeclare ad rem nostram adnotavit Machat: « Hoc vinculum affinitatis non est fictum a iure, » sicut cognatio legalis, aut spiritualis, *sed est naturale*, » etiamsi ex copula illicita oriatur, quia propter unitatem » carnis, quaetenus copulati fiunt una caro, naturaliter funda- » tur quaedam amicitia, et propinquitas personarum ut agnos-

(113) Cf. Pontium op. et loc. cit. cap. XXXIV.

(114) Cf. Cornel. a Lapide Comment. in 1. ad Cor. V. 1. nec non Estium in eund. loc. qui quamvis afferant nonnullorum antiquorum scriptorum testimonia, ex quibus constat, apud aliquot gentes morem illum olim obtinuisse, ut privigni novercam in matrimonium ducerent, tamen ostendunt passim id fieri non consuevisse, adeoque, quod scripsit Apostolus: *Omnino auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*, intelligi debere de gentibus illo tempore notis, quae ut plurimum regebantur legibus Romanis, non autem universim; praesertim si ratio habeatur earum, quae dicuntur Levitici XVIII. ubi postquam Deus inter alia edixisset: « Tur- » pitudinem uxoris patris tui non discoperias: turpitude enim patris tui est, » statim adiecit: « Ne polluamini in omnibus his, quibus *contaminatae sunt* » *universae gentes*, quas ego eieciam ante conspectum vestrum. » Praeterea animadvertunt interpretes, incestum illum Corinthium cum noverca adhuc in vivis patre agente se commiscuisse.



» cunt gentes etiam barbarae ; licet affinitas ex copula illicita  
 » non attendatur civiliter, quoad successiones et alios effectus  
 » iuris (115). » Cui assentitur Schmalgrueber, qui scribit :  
 « Non est merum Ecclesiae figmentum, sed *quid naturale* instar  
 » consanguinitatis, etiam stante ea sententia, quae docet nul-  
 » lam affinitatem iure naturali dirimere matrimonium... Nam  
 » quod per carnis coniunctionem coniuges efficiantur una caro,  
 » est de iure naturae (116). »

2. Negandam esse dispensationem persuadet reverentia prae-  
 terea et obsequium, quo descendentes obstringuntur erga ascen-  
 dentes tanquam superiores. Ex hoc enim vinculo naturali prae-  
 sertim in linea recta ac in primo gradu fit, ut privignus ac  
 privigna, gener et nurus quovis tempore atque apud omnes  
 pene cultas gentes spectarint vitricum ac novercam, socerum ac  
 socrum veluti parentes ipsorum proprios atque genitores cus-  
 todesque ipsorum pudicitiae eosque, ut illos appellare consue-  
 verint nominibus patris matrisque, eisque ut parentibus ob-  
 sequi, si morigeri fuerint probeque instituti ; Hinc « si vir et  
 » uxor, scribit S. Augustinus, non duo, sed una sunt caro,  
 » non aliter nurus reputanda quam *filia* (117). » Ne attinge  
 novercam aiebat quidam ethnicus, secundo cubili patris, sed  
 eam cole ac matrem (118). »

Quapropter vel ii ipsi theologi et canonistae, qui docent, affini-  
 tatem in primo gradu dirimere coniugium solo iure positivo, a  
 quo proinde pontifex dispensare potest, eiusmodi inesse inde-

(115) *Institut. canon.* lib. IV. tit. 14. *De cons. et affinit.* n. 10.

(116) *Ius canon.* lib. IV. tit. 14. *Consanguin. et affinit.*

(117) Lib. II. cont. Faustum cap. LXXI. Quo sensu etiam S. Thomas in I.  
 Cor. c. V. « Uxor patris, inquit, repellitur a matrimonio *sicut persona patris*  
 » vel matris. »

(118) Phosilides apud Cuiaccium in lege *Si adulterium* 35. ff. *De adult.*  
 Loquens autem Cicero pro A. Cluentio de socru, quae sese matrimonio copu-  
 laverat cum genero, in haec verba excandescens prorupit : « O mulieris scelus  
 » incredibile, et praeter hoc unum in omni vita inauditum ! O libidinem ef-  
 » fraenatam et indomitam ! » Tanto scilicet horrore percellabantur his coniu-  
 giis ethnici ipsi.

centiam ac turpitudinem hisce coniugiis ultro fassi sunt. Sic  
 Leurenus fatetur. « Esse id *valde indecens*, ac proinde ab eo  
 » homines omnimode deterrendos, et nunquam permittendum  
 » sine gravissima causa ; et quia raro contingere potest, pontifi-  
 » ces in hac affinitate nunquam dispensasse (119). » Maschat  
 pariter pronunciat : « Matrimonia ista gravibus poenis subii-  
 » ciuntur, *ob magnam indecentiam* (120). » Schmalzgrueber  
 et ipse admittit quod « matrimonium inter eiusmodi per-  
 » sonas repugnat *naturali decentiae* » ac subdit « huiusmodi  
 » nuptiis *perimi ius naturae*, quia licet iure naturae non sint  
 » irritae, sunt tamen eo iure illicitae (121). » Quare vel ipse  
 Pontius, qui adstruxerat coniugium inter fratres ac sorores mi-  
 nime irritum esse naturae iure, cum pervenisset ad sibi obiec-  
 tam difficultatem ab indecentia petitam respondet : « Aequè  
 » gravis, *imo gravior turpido* cernitur in eo quod quis nover-  
 » cam aut privignam ducat uxorem, vel relictam avunculi, et  
 » tamen solo ecclesiastico impedimento ea coniugia dirimun-  
 » tur (122) » Demum, caeteris omissis, Rigantius : « Perpen-  
 » dentes pontifices, inquit, quod privigna respectu vitrici, pri-  
 » vignus respectu novercae, nurus respectu soceri, gener res-  
 » pectu socrus filiorum loco habiti sunt, qua ratione *ex illorum*  
 » *coniunctione maxima oriretur turpido et indecentia*... ab  
 » dispensatione concedenda se abstinuerunt (123). »

Hac nimirum de causa factum revera est, ut nunquam Rom.  
 pontifices quempiam relaxare voluerint ab hoc impedimento,  
 etiamsi non semel viri potentissimi, regia etiam quandoque ac  
 imperiali dignitate fulgentes enixis precibus eiusmodi relaxatio-  
 nem petierint, atque in talibus rerum adiunctis, ut quadam  
 veluti necessitate ad eam concedendam pontifices compelli viderentur (124). Vere itaque Benedictus XIV. in op. *De synodo*

(119) *Ius canon.* lib. IV. tit. XIV. quaest. 231. n. 2.

(120) Op. et loc. cit. n. 12. in resp. ad. 1.

(121) Loc. cit. n. 110.

(122) Lib. VII. cap. 32. n. 11.

(123) Rigant. *Ad regul. Cancellr.* XLIX. tom. IV. n. 22. 23. 24.

(124) Inspectis magna diligentia tabulis seu regestis omnium relaxationum,



*dioeces.* scripsit. « At quidquid sit de potestate Rom. pontificis, » etsi pluries rogati abstinuerunt (125). » Congregatio concilii ad ipsum confirmat dicens : « Obstat sane huiusmodi dispensationi in primo gradu affinitatis lineae rectae, quod *centies* a summo pontifice implorata, toties ab ipso de voto etiam sacrae inquisitionis fuit denegata, licet a *magnis principibus* petita, et copula inter affines intercessisset. » Quapropter ad propositum » dubium: » An et quomodo sit consulendum sanctissimo pro dispensatione super impedimento primi gradus affinitatis lineae rectae in casu etc. Respondit : *Negative* (126).

Quibus adici potest commune gravissimorum auctorum testimonium, qui in eo convenerunt omnes, ut affirmant relaxationis ab apostolica Sede factae in primo affinitatis gradu lineae rectae ex legitime coniugio nullum prorsus existere exemplum (127).

Contendit quidem Basseus interdum a Rom. pontificibus eiusmodi relaxationes datas fuisse (128); verum ut animadvertit Rigantius, ille *id affirmat, sed non probat* (129). Adeoque dicendum, hunc auctorem deceptum fuisse permiscendo forsitan

quae sive a *Dataria apostolica*, sive a sac. Poenitentiaria, sive a suprema inquisitionis congregatione datae sunt, nullum est repertum exemplum eiusmodi dispensationis. Sane ab anno 1655. ad. an. 1841. triginta quatuor ex universis pene catholici orbis partibus ad apostolicam Sedem libelli supplices delati sunt ad obtinendam ab hoc primo affinitatis gradu dispensationem etiam a viris principibus non paucis, et constanter relaxatio denegata fuit.

(125) Lib. IX. cap. XIII. n. 4.

(126) In *Leodiensi matrim.* 28. Maii 1796. ad §. *Obstat.* In *Thesaurus resolutionum* tomo LXV. pag. 117-119.

(127) Cuiusmodi sunt Sylvius in *Suppl. S. Thomae* q. 55. art. 6. concl. 3. Pichler *ius canonic.* lib. IV. tit. 14. n. 27. Schmalgrueber *Ius canon.* lib. IV. tit. VI. §. 2. n. 105. Leuren. *Ius canon. De consang. et affnit.* q. 151. n. 2. Reifestuel *Ius canon.* lib. IV. *De consang. et affnit.* n. 49. aliique allegati a Rigantio ad reg. XLIX. *Cancel.* tom. IV. pag. 14. n. 29. Carrière *De matrim.* tom. II. *De impedim.* §. 847. Bassi *Del diritto canonico* lib. III. part. I. lez. 25. n. 11. Moser *De imped.* cap. 9. §. 15.

(128) Io. Basseus in *Floribus theol. verb. matrim. De impedim. affnit.* n. 72. apud Rigantium loc. cit.

(129) Loc. cit. n. 27.

impedimentum proveniens ex coniunctione fornicaria cum coniugali; aut etiam fidem adiungendo alicui rescripto apocrypho, prout identidem contigisse referunt Baronius (130), Thomassinus (131) ac Zacharia (132), qui postremus « Tanta, » inquit, in dispensationibus denegandis Rom. pontificum constantia, effectum non semel est, ut qui de illis Romae impetrandis desperarent, se tamen eas ab apostolica Sede obtinuisse apud suos antistites mentirentur (133). »

Constanter autem dixi, nullum extare exemplum datae eiusmodi relaxationis ab *apostolica Sede* seu a Rom. pontificibus; siquidem uti paulo ante retulimus, a nonnullis antiquioribus concilii in hoc primo lineae rectae affinitatis gradu aut a paganis ante conversionem ad fidem aut a fidelibus nuper conversis celebrata ex legum ecclesiasticarum ignorantia coniugia tolerata sunt, neque ita nupti ad separationem coacti fuerunt. Nam ut rite adnotavit laudatus Zacharia « Nonnunquam episcopis visum fuit e re Ecclesiae esse, si vetita matrimonia non quidem » ex canonum legibus solverentur, sed ob *gravissimas causas* » indulgentia tolerarentur (134). » Disserens vero de concilio Aurelianensi addit : « Patres igitur huiusmodi coniugia in posterum fieri vetant, quae tamen ad illud tempus contracta, quum » se non dissolvere affirmant, ea se tolerare palam faciunt (135). »

Sed de impedimento ex affinitate orto in primo gradu lineae rectae proveniente ex coniunctione legitima seu coniugali haec tenus. Non ita tamen se res habet, quando impedimentum oritur ex coniunctione illegitima. Non enim desunt exempla consessae a Rom. pontificibus dispensationis, gravi urgente causa. Nonnulla profert Rigantius, praesertim vero Clementis XI. qui

(130) Ad an. 472. n. 40.

(131) *De benefic.* tom. II. lib. III. cap. 25. n. 9.

(132) In op. alias cit. *De episcop. in dispensat. super matrim. impedim.* cap. I. art. 1. §. 2.

(133) *Ibid.* n. 6.

(134) Op. et loc. cit. cap. 1. n. 7.

(135) *Ibid.*



duas eiusmodi dispensationes dedit; alteram die 13. Iulii an. 1703. alteram vero die 5. Augusti 1709. (136). Qui auctor quidem recte admonet magnum interponi discrimen inter affinitatem ortam ex legitimo coniugio, et illam, quae a coniunctione fornicaria originem ducit. Affinitas enim, quae oritur ex actu fornicario non eampraese fert publicam indecentiam, ac proinde publicum scandalum, quae ex coniugio inter affines ex legitima copula enasci consueverunt. Siquidem privignus, privigna, gener et nurus, donec matrimonium perduravit, novercam, socerum, socrum loco parentum habuerunt; contra vero eum, qui fornicatus fuerit cum matre defuncta, nunquam loco patris habuit quispiam; atque ita porro de caeteris dicatur. Atque haec potissima est ratio, quare summi pontifices in affinitate, de qua disserimus, interdum dispensarint, nunquam vero in altera, quae ex matrimonio legitimo promanat.

Quin etiam, cum veniam concederent, ut contrahi posset coniugium cum eiusmodi affine ob illicitum commercium, opportunis sollicitè cautelis ad quamvis hac in re aequivocationem amovendam utebantur (137).

De dispensatione in primo affinitatis gradu collateralis nil atinet dicere, cum iam quaestionem hanc paulo ante praeoccupaverimus. Nunc penes theologos omnes ac iuris canonici interpretes exploratum est, gradum hunc non spectare ad ius naturae preesse sumptum. Discussa ex utraque parte quaestio haec magno animorum aestu quondam fuit ex occasione, qua, ut diximus, Henricus VIII. contendebat nullam ac irritam esse dispensationem sibi factam a Iulio II. ducendi Catharinam Ara-

(136) Op. cit. in regul. XLIX. n. 28 seqq.

(137) Quod patet ex recenti exemplo in causa quadam Leodiensi. Nam die 25. Septemb. an. 1841. cum indulisset summus pontifex Gregorius XVI. cuidam, qui cum defuncta putativa uxore matrimonium civile tantum, adeoque clandestinum et irritum contraxerat, ut cum istius praemortuae filia nuptias celebraret; simul tamen apostolico nuntio iniunxit, ut notum fieret publicis etiam ephemeridibus, si opus fuisset, ne venia ducendi privignam ex legitimo ortam toro concessa videretur; ut ex actis congreg. Rom. constat.

gonensem matrimonio copulatam cum defuncto eius fratre Arthuro. Nemo nunc superest, qui adhuc ea de re quaestionem aut dubium moveat.

Illud unum adnoto, Iulium II. nec primum nec solum fuisse, qui eiusmodi relaxationem concederet. Iam enim Martinus V. veniam fecerat Ioanni, comiti Fuxensi, ut uxorem ducere posset Blancam relictam fratris, filiam Caroli, regis Navarrae (138). Deinde vero successores pontifices easdem dispensationes concedere consueverunt etiam post concilium Tridentinum (139). Quoad caeteros gradus disquisitione nulla opus est; nam omnes admittunt ex solo iure ecclesiastico irrita fieri coniugia ob affinitatem, non autem ex naturae iure, ac propterea Rom. pontificem in omnibus posse relaxationem concedere. Eo tamen maior, sive gravior causa requiritur, quo gradus est propinquior, ac omnino eiusmodi sit oportet, ut maioris censeatur ponderis, quam talis coniugii turpitudine (140). Insuper eo maior requiritur et exigitur cautela, quod ipsae leges civiles inter impedimenta civilia affinitatis gradus inter ascendentes ac descendentes constituerint (141). Non

(138) Hoc fortasse primum est, de quo constat, exemplum dispensationis in primo gradu lineae transversae sive collateralis, de qua cf. Raynaldum ad. an. 1418. n. 53. Natal. Alex. *Hist. eccl. sec. XV. et XVI.* in Martinum V. Thomassinum tom. II. lib. III. cap. 37. n. 10. Pagium in vita Martini V. n. 88. Qui omnes quidem testantur, Martinum V., non nisi post longam disputationem celebriorum theologorum ex omnibus pene nationibus catholici orbis, dispensationem hanc dedisse et ad preces praesulum et cardinalium, qui convenerant ad concilium Constantiense.

(139) Hos recenset Rigantius op. et loc. cit. n. 53 seqq. et n. 43. Sane Paulus V. alteram indulset; Urbanus VIII. tredecim; Innocentius X. duas; Alexander VII. octo; Clemens IX. duas; Clemens X. octo; Innocentius XII. duas; Clemens XI. quamplurimas; et ita porro.

(140) Rite animadvertit Rigantius, cavendum a primo exemplo, nam « Rima » facta, haec facile dilatatur, tandemque crescit in grande foramen, et in aper- » tam portam, hinc et successores pontifices ad similes dispensationes indul- » gendas ex longe levioribus causis processerunt. »

(141) In nonnullis regionibus coniugium inter consanguineos et affines in primo gradu sub capitis poena interdictum fuit, quamque ut effugerent et con-



autem hoc dicimus, quasi erronea nonnullorum doctrina a nobis probetur, quod « si agatur de impedimentis civilibus simul et » canonicis, ex rei natura non sufficiat dispensatio Ecclesiae, » sed requiritur etiam dispensatio principis, Ecclesia enim, » aiunt, non potest impedimento adimere vim, quam habet » a lege principis; unde, non obtenta principis dispensatione, » *validum non esset matrimonium etiam in foro Ecclesiae,* » quae non potest pro valido habere matrimonium *in se irri-* » tum (142). » Longe enim nos ab hac absumus doctrina, sed ideo haec animadvertimus ut collisio, quae intercederet cum legibus civilibus, quoad eius fieri potest, evitetur, ac ne nobis adversarii succenseant, perinde ac si moralis legis magis solliciti fuerint politici magistratus, quam Rom. pontifices, qui tamen aut nullatenus in nonnullis gradibus dispensant, et si in aliis interdum relaxarunt, nonnisi necessitate cogente, id effecerunt.

## CAPUT IV.

De Ecclesiae potestate Sanandi matrimonia in Radice.

ARTICULUS I. — Sanationis Matrimonii in radice vera notio exhibetur.

Dispensationi, de qua hactenus locuti sumus, affinis est sanatio, ut dici solet, matrimonii in radice. Istiusmodi sanationis nomine venit ablatio seu remotio illius vitii, cum quo initum est matrimonium, et quo factum est, ut illud nullum irritumque redderetur, adeoque ineptum ad effectus producendos, qui ex legitimo coniugio provenirent.

Quae ut plana fiant, praemittendum est coniugii contractum oriri a *consensu* libero utriusque contrahentis, a quo velut a sua radice contractus ac proinde et sacramentum enascitur. Siquidem sine consensu matrimonium perinde ac quivis alius con-

iugium cohonestarent nonnulli ab apostolica Sede dispensationem petierunt, ast nunquam obtinere.

(142) Vid. Carrière *De matrim.* tom. II. n. 1062. a qua tamen doctrina nunc cl. auctor, ut superius videmus, recessit.

tractus nec est, nec intelligi potest. Itaque consensus partium est veluti fundamentum et radix ipsius coniugii, eoque sublato, omnis coniugii ratio penitus evanescit.

Ast non quivis consensus ad contrahendum matrimonium sufficit, sed necesse praeterea est, ut sit *legitimus* seu a personis elicitus, quae sint iure habiles ad eum consensum praebendum; alioquin consensus est nullus, nec effectum producit, ad quem datur, utpote nullius valoris.

Porro fieri potest, ut hic consensus illegitimus sit iure aut naturali, aut divino, aut ecclesiastico, aut etiam aliquo sub respectu iure civili. Si sit illegitimus iure naturali presumpso, aut iure divino, ita vitatur, ut nullo modo sanari possit ab humana quavis auctoritate, perpetuoque idcirco irritum permanebit coniugium ita illegitime contractum. Si vero illegitimus sit iure tantum canonico, seu ob impedimentum aliquod dirimens ab Ecclesia constitutum, tunc licet ita vitatus sit consensus, ut contractum coniugalem irritum reddat, nihilominus vi eiusdem auctoritatis, qua impedimentum statutum est, scilicet Ecclesiae, tolli etiam potest; seu vitium illud ita sanari potest, ut eo sublato tum contractus validus exurgat, tum sacramentum, illosque omnes producat effectus, quos produxisset, nisi obfuisset vitium illud. Atque hinc est, quod sanatio in radice, de qua disserimus, a Benedicto XIV. definiatur: « *Legis ecclesiasticae, quae impedimentum induxit, abrogatio in* » casu particulari, coniuncta cum irritatione omnium effectuum etiam antea ex lege secutorum (1). »

Ex his iam intelligitur 1. quare ablatio istius vitii, quo illegitimus evasit consensus ac propterea nullus, vocetur *sanatio*, metaphora a morbo desumpta. Dispensatio enim, quae nativo vitio quodammodo medetur, ita ut consensus ineptus ad producendos effectus, quos producere debuisset, iam legitimus reddatur, ut producere incipiat effectus suos, analogice *sanatio* iure nuncupatur. Sane card. Caprara in facultate data

(1) *Quaest. canonic.* q. 174. et *De synodo dioec.* lib. XIII. cap. 21. n. 7.